8. 7

ORATIO
IN FUNERE
FIDELISSIMI LUSITANIÆ REGIS
JOANNIS V.
HABITA

In Templo S. ANTONII ejuſdem Nationis, dum ei Regio nomine parentaretur

A' SEBASTIANO MARIA CORREA
SSmi Domini Noſtri Prælato Domeſtico, Regiæque Domûs ipſius Nationis de Urbe ad præſens GUBERNATORE.



ROMÆ MDCCLI.

EX TYPOGRAPHIA HIERONYMI MAINARDI.
SUPERIORUM FACULTATE.

JOSEPHO
Lusitanorum, atque Algarbiorum
REGI FIDELISSIMO

SEBASTIANUS MARIA CORREA
FELICITATEM.



Unebrem JOANNIS *V. Regis laudationem, cujus angustis limitibus immensas Viri Clarissimi laudes circumscribe-*

re conatus sum, dum in hoc Lusitanæ Nationis Templo eidem Tuo nomine parentaretur, cui potissimum, quàm Tibi, JOSEPHE Lusitaniæ, atque Algarbiorum Rex FIDELISSIME, *consecrarem? Quem enim ea propius tangeret, quem oblectaret jucundius, quàm Te, qui rectus virtutis æstimator cùm sis, amplissima Parentis tui decora, & olim tacitus suspexisti, & summa nunc cum jucunditate recordaris? Imò si Parentum gloria redundare solet in Filios, & ad eos quodam veluti hæreditario jure pertinere; cui gratior, quàm Tibi, accidere posset oratio mea, quæ veram, solidamque Patris tui gloriam, si non ea, qua par est, dignitate, atque eloquentia, genui-*

nis

nis certè coloribus exprimit , contemplandamque proponit ? Accedit huc , quod cùm ejus vita , omnibus exornata virtutibus , norma veluti quædam Chriſtianis Principibus fuerit , ad quam mores informarent ſuos ; Tibi verò præ omnibus tam domeſticum , ac tam præclarum exemplar intueri propius licuerit , ac libuerit imitari ; ita Te ad omnem veram laudem comparaſti , ut ejus virtutes in Te ipſo feliciſſimè expreſſas intueamur . Quotuſquiſque enim eſt , qui non audierit omnium ſermone celebrari ſingularem tuam erga Deum pietatem , atque obſervantiam , mirum erga ſuperſtitem Genitricem amorem , ac reverentiam, eximium tuendæ , propagandæque Religionis ſtudium , raram in ex-

plicandis negotiis prudentiam, perspicax in deligendis Ministris consilium, admirabilem in administranda Republica gravitatem, incredibilem demum de omnibus benemerendi cupiditatem? Quis egregiam, quam de Te jam olim concitaveras, expectationem in ipso Regni exordio Te non æquasse modò, verùm etiam superasse non fateatur? Quamobrem desiperem profectò, nisi meam hanc lucubrationem, qualiscumque ea sit, summo, quo decet, obsequio ad Majestatis Tuæ pedes demitterem, ut præstantissimi Patris tui virtutibus in ipsa leviter adumbratis, tuarum virtutum splendore, uberior fiat accessio lucis, atque ornamenti. Tua igitur humanitate, ac penè incredibili clementia

fretus,

fretus, ſummis abs Te precibus poſtulo, ut laborem hunc meum peramanter excipias, ac me tua illuſtri, potentiſſimaque clientela, ac patrocinio tuearis.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Constantinop. Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Reverendissimi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici Socius.

ORA-



ORATIO.



ETSI incredibili pollerem ingenio, & mirifica, ac prope ſingulari, dicendi vi, atque copia huc inſtructus accederem, EE. PP., fieri tamen nulla ratione poſſet, ut dum in FIDELISSIMI JOANNIS V. Luſitaniæ Regis obitu ſquallent Civitates univerſæ, mœret omnis ætas, atque ſexus, jacent bonorum omnium animi in tam gravi, duroque caſu defixi, oratio ipſa mea ſquallere quodammodo in tanto luctu, & aſpectum hominum, ac omnino lucem formidare non videretur. Nonne enim recens acerbiſſimi vulneris memoria omnem mei ardorem animi ſeſe erigere conantis, tamquam flumen, obrueret, atque extingueret? Nonne hi parietes ipſi, qui, atratis obducti veſtibus, lugere quodammodo videntur, atque in mœrore, ſqualloreque verſari; hi lugubres ritus, & cœremoniæ; publicus hic, juſtiſſimuſque Chriſtianæ Reipublicæ dolor, omnem mihi detraherent bene, ornateque dicendi facultatem? Nunc

verò, cùm tanta ſit ingenii mei tenuitas, atque inopia, & tam multis præterea incommodis impedita, ut ea ornamenta orationis, & lumina adhibere nequeat, quæ diſertiſſimi Oratores ſolent; is verò, de cujus laudibus dicendum eſt, infinitam propemodum orationi ſuppeditet materiam; videte, obſecro, quid tandem in hac officioſa eximio Principi perſolvenda laudatione à me expectare Vos oporteat. Verùm non idcirco minus Vos ſtudii ad hanc cauſam afferre decet: ſolvimus enim officia juſta, ac debita illi Principi, cujus ſumma eſt erga Chriſtianam Rempublicam meritorum magnitudo, itaut ipſa Vos res, ipſum officium, ipſa pietas ſatis excitare debeat, & accendere. Adeſte itaque animis, dum tanti Regis laudes, admirabiles licèt, ac penè infinitas (ne vulnus diutius refricatum recrudeſcat acerbius) curſim perſtringere, brevique orationis ambitu complecti conor, & circumſcribere. Rem paucis conficio, nihil aliud de optimo Rege prædicaturus, quàm quod de eodem rectiſſimus ille virtutum æſtimator, & cultor Clemens XI. Pontifex Maximus olim pronunciavit: * *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes*. Paucis videlicet Vir ſapientiſſimus multa complexus, illud ſignificare voluiſſe viſus eſt, peculiari quodam Divinæ Providentiæ munere JOANNEM V. Luſitaniæ, Algarbiis, aliiſque florentiſſimis Provinciis Regem fuiſſe conſtitutum, ut ejus vita omnibus exornata virtutibus norma veluti quædam Chriſtianis Principibus foret, ad quam eorumdem mores informarentur. Vererer ſanè, ſi de alio quopiam verba facerem, vererer, inquam, ne quæ dicturus ſum, magnificentius dici, quàm verius viderentur. At JOANNIS V. laudes quotuſquiſque veſtrum eſt,

* In Epiſt. & Brev. ſelect. pag.527. Tom.IV.

est, qui non frequenter audierit communi omnium hominum sermone celebrari? Verendum itaque mihi potius esse sentio, ne extenuare eas dicendo videar, quàm augere exornando. Quamobrem oro Vos, obtestorque, Auditores, ut multò majora de tanto Rege Vos ipsi cogitetis, quâm quæ de eodem à me prædicabuntur.

Duo omnino sunt virtutum genera, quibus excellere potissimum eos oportet, qui populis, nationibus, ac Regnis sive hæreditario jure, sive hominum delectu, & consensione regia cum potestate præficiuntur: earum videlicet, quibus debitum Deo obsequium, cultusque defertur, & earum, quæ populorum commodis, veræque felicitati prospiciunt. Cum enim Reges Deus opibus, imperio, ac dignitate supra mortales reliquos evehat; nonne par est, ut ipsi quoque tantæ memores beneficentiæ supra mortales reliquos sese Deo præbeant obsequentes, ejusque gloriam, & cultum omni ope, ac vi latius studeant propagare? Cum verò regia poscat auctoritas, ut eidem sese, suaque omnia populi gubernanda committant; nonne Reges oportet omni studio, animique contentione veræ Subditorum felicitati procurandæ semper excubare? At quænam ex his virtutibus JOANNI defuit, aut verius in eo summa non fuit?

Utque à primo earum genere exordiamur; quanta in integerrimo Rege fuit erga Deum pietas! quanta observantia! quanta religio! Testes sunt Sacræ Lisbonenses Ædes, quæ illum frequentissimè, dum Sacra operaretur Sacerdos, ante Aras in genua provolutum, demissis in terram oculis, vultuque ad summam modestiam composito adstare conspexerunt. Testes sunt illi seclusi penitus, abditique regiæ domus recessus, qui eum statis diei temporibus omnia dicta, facta, cogitataque sua judicio acerrimo, tamquam ali-

qua

qua ſtatera, ponderantem, deque rebus divinis ſeriò, ac diutius cogitantem viderunt. Teſtis eſt illa Sacra Ædicula parietibus ſepta domeſticis, ubi ille frequenter apud Sacerdotem peccata ſua cum lacrymis confiteri, & Sacrum Chriſti Servatoris Corpus mira pietate accipere conſuevit. Teſtes libri illi, quos ſeu de rerum humanarum deſpicientia, ſeu de cæleſtium magnitudine graviter, ſapienterque conſcriptos noctes, atque dies ſtudioſiſſimè evolvebat. Teſtes demum tot Religionum ſive Duces, ſive Milites, quibuſcum non infrequenter pia miſcebat colloquia, quorum crebrò ſapientiſſima excipiebat conſilia, quos, ut uno verbo dicam, in oculis ferebat, ſummaque diligentia, atque incredibili ſtudio tuebatur. Quid miram ejus commemorem erga Sacros Miniſtros, ac Romanum præſertim Pontificem, reverentiam, in quibus Dei ipſius, cujus vices in terris gerunt, majeſtatem colere, ac venerari videbatur? Quid ſummam Chriſtianæ Religionis, Sacrorumque curam, quam geſſit? Nonne ritus omnes, ac cœremonias, quæ in hac Urbe Religionis Magiſtra in divinis celebrandis myſteriis, aliiſque ſacris muneribus obeundis ſervari conſueverunt, diligenter exſcribi, ac in Luſitaniam deferri juſſit, ut in ea quoque religioſiſſimè ſervarentur? Nonne ejus hortatu, conſilioque aſſidua ad Altare, in quo Euchariſticum aſſervatur epulum, indicta precatio eſt in Lisbonenſibus Templis uberrimo cum Civium fructu, ſummoque cum Religionis incremento? Nonne ſolemni pompæ quotannis, qua Sacrum Chriſti Corpus per medias Lisbonæ vias circumferebatur, & ipſe ſupplex intererat, & Magiſtratus omnes, omneſque omnium ordinum homines intereſſe juſſit, ut Reparatori Sanctiſſimo non modò è ſuis convulſa ſedibus Urbs, verùm etiam Luſitania tota publico illo ritu famulari ſe profiteretur? Nonne opulentiſſimum Pa-

Patriarchale Templum à fundamentis extruxit, pinguissimis reditibus locupletavit, variis Sacrorum Ministrorum ordinibus auxit, pretiosissima auri, argenti, gemmarumque supellectili exornavit, eo videlicet sapientissimo consilio, ut ex tanta rerum opulentia, ac sumptu infinitam Supremi Numinis dignitatem, cujus externo cultui ea omnia consecrabantur, Lusitani facilius intelligerent, ac religiosius venerarentur? Dies me deficiat, Auditores, si persequi velim omnia singillatim, quæ REX FIDELISSIMUS mirifico studio Religionis incensus, quamdiu vixit, aut perfecit, aut molitus est. Mitto itaque & magnificentissimè exædificatum Mafræ Templum, quod & forma, & ornatu, & amplitudine immensam Vaticani hujus Templi molem æmulatur; & ditissimum Sacellum Sancto Joanni Baptistæ sacrum, quod in hac Urbe regiis extructum sumptibus cùm paucis ab hinc annis suspiceretis, hæsistis ancipites, utrum materia opus, an opus superaret materiam; & plures Lusitaniæ Sacras Ædes ad pientissimi Regis preces à Romano Pontifice non modò Basilicarum titulis auctas, verùm etiam summis Indulgentiarum thesauris munificentissimè cumulatas. Taceo novos Episcopatus, quos in Brasiliæ Regno, quasi totidem firmissimas arces, ad Catholicæ Religionis tutelam, ac munimentum erexit; Sacra Cœnobia, quæ à fundamentis excitata, hominibus asperrimam Magni Francisci disciplinam profitentibus tradidit incolenda; Collegia plura, quæ inclytis Societatis Jesu Alumnis aut auxit, aut extruxit, ut sacris expeditionibus Lusitaniam, aliasque regiones percurrerent, & Christianam ubique pietatem, ac Religionem, quemadmodum felici successu peractum ab iis est, propagarent. Sileo tot eximios divini Verbi præcones, quos, ut ethnicæ superstitioni bellum indicerent, ad eas Nationes, quæ in extremas terrarum oras

oras relegatæ in tenebris adhuc miſerrimè verſantur, miſit, ac regiis opibus liberaliter ſuſtentavit. Non commemoro immenſam pecuniæ vim, quam erogare quotannis conſuevit, ut Chriſtianos homines ſub barbarorum captivitate conſtitutos in priſtinam libertatem vindicaret. Hæc, aliaque plurima tacitus prætermitto; ne ſi omnia, quæ de tanti Regis pietate dici poſſunt, dicere voluero, nullus umquam inveniatur exitus orationi meæ. At illa eadem, quæ commemoravi, tot, tantaque ſunt, ut ex iis conjici facile poſſit, quidquid JOANNES ageret, id ex ſingulari quodam Religionis Chriſtianæ, & virtutis ſtudio profectum ad earumdem incrementum ab eo referri, tantamque exinde Religioſiſſimo Regi partam fuiſſe gloriam, quantam vix fortaſſe quiſpiam ante illum ſibi comparavit. Floruerint enim alii Reges bellicis laudibus, hoſtes potentiſſimos edomuerint, opibus ſuos auxerint, imperii fines longè, lateque propagarint. Eorum laudes celebrabuntur illæ quidem, & immortalitati, quoad fieri poterit, commendabuntur, ſed ſic, ut cum multis ethnicis Imperatoribus aliqua ex parte communicentur, & cum Alexandri Magni, Scipionum, Pauli Æmilii, Cæſaris, Pompeji rebus geſtis conferantur. At hæc JOANNIS laus, quam nulla umquam ætas conticeſcet, & eſt omnino propria Chriſtiani Regis, & nonniſi cum Conſtantini Magni, atque utriuſque Theodoſii gloria comparabitur, qui cum Imperii Romani majeſtate, opibus, potentia, rerumque geſtarum gloria, tum multò magis pietatis, ac Religionis ſtudio floruerunt.

Verùm quamquàm tantam Religionis, Sacrorumque curam JOANNES geſſerit, ut illi uni dies, noctesque vacare videretur; nihil tamen eorum omiſit umquam, quæ ad veram ſubditorum felicitatem procurandam pro-

prodesse possent. Solent quidem iniqui rerum æstimatores dictitare, eos, qui mirifico pietatis studio ducuntur, non ad populorum gubernationem, sed ad Monasticæ vitæ rationem ineundam esse accommodatos. Sed ut eorum retunderetur, atque obmutesceret insania, opportunè a Deo missus videtur JOANNES, qui summam Religionis curam cum optima Reipublicæ administratione copularet. Atque utinam possem hìc virtutes singulas dicendo persequi, quarum ope Rex publici boni cupidissimus tot amplas, disjunctasque provincias tam feliciter gubernavit! Commemorarem summam ejus justitiam, qua sua cuique jura sancta semper, integraque servavit; incredibilem humanitatem, qua sive advenas, sive cives ad eum accedentes peramanter excepit; miram in divinis, humanisque legibus custodiendis constantiam, qua, cùm esset in omne genus hominum quàm lenissimus, severissimum se tamen in sceleratos, cùm res postularet, exhibuit. Exponerem eximiam in negotiis cùm domesticis, tum externis pertractandis dexteritatem, qua illud constanter est assecutus, ut non alius, nisi quem præviderat, optaveratque, exitus obveniret. Prædicarem inusitatam illam prudentiam, & admirabile in providendo consilium, quo impendentes regno calamitates avertit, mala depulit, pericula propulsavit; quo bonorum genus omne in sibi subjectas congessit provincias; quo demum, ut in mediis atrocissimorum Europæ bellorum fluctibus non modò Lusitania non jactaretur, verùm etiam otio summo, ac tranquillitate frueretur, effecit. Celebrarem egregiam animi fortitudinem, qua gravissima bella, cùm Religio suaderet, suscepit; singularem felicitatem, qua gessit; incredibilem; qua confecit, celeritatem. Dicerem Corcyrensem Insulam solo Lusitanæ classis aspectu ab immani Turcarum obsidione liberatam; Goam florentissimam Urbem de-
lecta

lecta militum manu à barbarorum prædæ inhiantium unguibus ereptam; frequentes Christiani nominis hostium incursiones in Africa, atque in Asiæ finibus repressas; efferatos demum Tingitanorum, ac Brasiliensium tumultus compositos, fractos impetus, debellatam audaciam. Verùm has, reliquasque singulares præstantissimi Regis virtutes, cùm mihi per tempus non modò pro dignitate pertractare non liceat, sed ne recensere quidèm enumerando, exornandas aliis relinquo, quibus uberius tributum sit flumen ingenii, & plus temporis ad dicendum, aut otii ad scribendum obtigerit. Regiam illam tamen munificentiam tuam (Te enim jam appello, & alloquor, REX FIDELISSIME) regiam illam, inquam, munificentiam tuam, qua de omnibus benemereri consuevisti, tacitus præterire nullo modo possum. Quis enim ordo, quis sexus, quæ ætas illam non sensit, ejusque desiderio modò non commovetur? Senserunt Lusitanæ Urbes, quas constratis viis, erectis obeliscis, statuis collocatis, excitatis ædificiis, tantis demum molitionibus extructis exornasti, ut Romanam magnificentiam aliqua ratione æmulari videantur. Senserunt populi, in quorum commodum immodico sumptu peregrinas aquas è longinquis regionibus per extructos magno molimine sublimes arcus advexisti. Senserunt literæ, ac liberales disciplinæ, quarum tam præsens suscepisti patrocinium, ut ad earum domicilium, ac sedem plura aperueris gymnasia, florentes institueris academias, locupletissimas bibliothecas aggesseris, Juvenum erexeris contubernia, literatorum colonias undique advocaris, quorum videlicet ope, quidquid in pluribus sparsim regionibus addisceretur, id omne una Lusitania edoceret. Senserunt cives, senserunt exteri, quorum calamitatibus sublevandis numquam præsto non fuisti. Quando enim, quod à Te petivisset aliquis, nón impe-

pe-

petravit ? quem egentem vacuis à munere manibus dimisisti? Cui vexato miserè, & jacenti non adfuisti, cum à Te auxilium expetisset ? Te deflent extinctum inopes , quorum altor eras , & educator , Te viduæ , quarum liberos , & fortunas tuebaris; Te pupilli, quorum solitudinem tutela juvabas tua; Te virgines , quarum pudicitiam à malesuada fame tuis opibus vindicabas; Te Religiosæ Familiæ, quarum egestatem maxima ex parte tuis alebas, ac sustentabas sumptibus; Te demum omnes omnium ordinum homines, qui tuam in suis periculis fidem, atque præsidium senserunt, profluentibus lacrymis, gementesque desiderant. O justas lacrymas , verissimumque de singulari tua beneficentia testimonium! O miserum non Lusitanorum modò , sed multorum etiam populorum casum, qui Te tam religiosum, tam providum, tam beneficum Regem amiserunt ! Vixeras quidem satis Tibi, satis gloriæ, satis etiam, si vis, naturæ; at non satis aliis, qui Te sospite, & incolumi, omnia in tuto esse arbitrabantur; Te verò erepto, lætitiam omnem, omnemque felicitatem Tecum dolent esse sublatam.

Sed nos ad illud revertamur, unde quodam abstracta doloris æstu, nostra longius aberravit oratio. Quamquam tot, tantisque virtutibus Rex præstantissimus emineret; ne qua tamen in eo fuisse videretur, cujus præclarum specimen non præbuisset; tentari illum ærumnis oportuit , gravissimisque afflictari calamitatibus , ut qui in rebus prosperis miram animi moderationem exhibuerat; non imparem in perferendis adversis patientiam , atque alacritatem præseferret. Decimo itaque ante obitum anno comitiali corripitur morbo, tam diuturno quidèm , ut eo, quoad vixit , frequentissimè laboraret , tam diro autem , ac tam vehementi , ut non semel ab eo in extremum vitæ discrimen adduceretur . At tantam morbi vim,

ac

ac diuturnitatem quàm non modò patienti animo, verùm etiam æquo, ac libenti Rex fortissimus toleravit! Angebatur quidèm ægritudine corpus, sed non frangebatur animus, qui mortalia supergressus, ad Deum cogitatione avolabat, cumque se ejus nutu, consilioque regi intelligeret, mirificè recreabatur. Invictus proinde, immotusque morbi sæpius recrudescentis impetum læta semper fronte sustinuit, sibique perpetuò constans, attritis licèt ab adversa valetudine viribus, numquam aut à Christianæ Religionis propagandæ studio, aut à procurandæ Subditorum felicitatis cura divelli potuit. Verùm cum has inter animi curas, corporisque ægritudines REX FIDELISSIMUS paulatim intabesceret, supremumque sibi jam diem imminere divinaret; ut impavidus morti, veluti Christianum Militem decet, occurreret; Sacerdotem è Societate Jesu accersiri jubet, qui se, totamque Regiam Familiam spiritualibus, ut vocant, Sancti Ignatii exercitiis excoleret. Cujus autem est tantum flumen ingenii, cujus tanta eloquentiæ vis, atque ubertas, ut divinum animi ardorem referre possit, quo JOANNES in sacro illo secessu, piisque commentationibus inflammatus, terrena omnia fastidire cœpit vehementius, cælestia ardentius anhelare, mortem denique ipsam impensius expetere, quò resoluta terrena sui corporis compage, liber in Beatorum patriam spiritus commigraret? Nihil prorsus post illos dies, nisi obitum, nihil, nisi veram vitam cogitabat, nihil, nisi immortalitatem meditabatur: Neque verò protracta diutius sunt tam pia vota: gravius enim in dies urgente morbo, brevi se de vita migraturum sensit. Tum ille vultu ad serenitatem composito, Sacerdotem vocari jubet, à quo solebat audiri, animoque perpurgato, ac delictis soluto, Sanctissimum Christi Corpus enixis precibus postulavit, ac religio-

giosè ſumpſit : viaticum videlicet perneceſſarium ad illud iter extremum in cœleſtem patriam conficiendum. Sacro quoque ſe perungi curavit oleo, quo criminum reliquiæ, & ſi qua adhuc expianda ſibi eſſent, delicta penitus abſtergerentur. Neque illud etiam omiſit, ut à Romanæ Sedis Nuncio Apoſtolicam Benedictionem, ut ajunt, magnopere expetitam impetraret. His inſtructus armis adverſus infeſtiſſimos hoſtes, quos in extremo vitæ exitu inſidias morientibus moliri non ignorabat, dum mortem præſtolatur impavidus, in Chriſti è cruce pendentis imaginem defigit oculos, Deiparæ Virginis, aliorumque Cœlitum opem, ac præſidium implorat, ſolemnes Eccleſiæ precationes, ut poteſt, piè recitat, animumque ſuum è corporis ergaſtulo fugientem Auctori, & Creatori ſuo commendat. Tandem pridie Calendas Auguſti, qua die anniverſaria S. Ignatii Lojolæ, quem mirificè ſemper coluerat, inſtauratur recordatio, fortiſſimus ille animus, ſolutis vinculis, emergens è tenebris, relinquens concretum, & mortale corpus, nactus liberum cœlum, atque lucem, in illam ſempiternam domum triumphans evolavit.

Quid lacrymarum totam familiam putatis profudiſſe, ubi Regem illum mortuum aſpexit, cujus ſola præſentia, & comitate recreabatur? quem ploratum pauperum fuiſſe? quem fletum civium? quem dolorem, & gemitum populorum? quem mœrorem totius Luſitaniæ? At Vos, mœrentes populi, à Lacrymis tandem temperate, veſtroque acerbiſſimo licèt, ac juſtiſſimo, ſtatuite modum dolori. Occidit quidèm, occidit ſæviſſima morbi vi extinctus JOANNES V., pulcherrimum pacis ornamentum, firmiſſimum belli præſidium, Religionis ſtudioſiſſimus defenſor, barbararum nationum procurator ſollicitus, ſcelerum vindex acerrimus, bonorum patronus amantiſſi-

tiſſimus , exemplar tandem virtutum omnium Chriſtianis Principibus à Deo propoſitum ad imitandum. At poſt mortem ſanctiſſimè obitam, illam bonis omnibus affluentem immortalitatem adeptus eſt , in qua virtutum ſuarum fructus jam capit uberrimos . Levent itaque dolorem veſtrum , & præteritarum ejus virtutum, quæ ſemper vigebit, fama , & veræ beatitatis, qua ſemper potietur , recordatio . Receſſit ille quidèm à Vobis moriens ; at non receſſit totus : reliquit enim Filium, in quo illum cernitis, ac tenetis, & qui Aviti non magis ſolii , quàm patriæ virtutis hæres, tanta religione, pietate, prudentia, conſilioque imperii habenas regit, ut JOANNES ipſe in Luſitania adhuc vivere, atque imperare videatur. Huic ergo, ſi ſapitis, poſt officia debita Parenti ejus amantiſſimo perſoluta, ſoſpitatem, diuturnamque vitam a Deo Optimo Maximo votis omnibus conſtanter expoſcite.

